



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Gvilielmvs Conf. 10. Februarij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

10. Feb. VITÆ SANCTORVM. 87
alios videoas, ad meliora sanctè abusus est. Certè
cùm cantus regiam perstreperent, interque mo-
dulos dulces dulciores luderent fides, ab his ani-
mum ANSBERTVS advertisse ad cælestem musi-
cam perhibetur haud paulò meliorem. Itaque aliis
levi pede terram obeuntibus, ipse cœlos rectius
obibat. Illud credo dices: ergo pietas etiam aulam
habitat? Rectè. quod tamen minus secura hanc
habitaret, Ansbertus deinceps habitare cœno-
biū instituit, Abbasque, mox Episcopus Rotho-
magensis, potius inter mendicabula degere. In
eum finem Xenodochia complura ædificavit,
mensam ipse stravit, convivis suis conviva assedit,
eodem & disco, & cibo usus. Iam ne dubites vir-
tuti hostem aulam esse, à Pipino in exilium est
pulsus, & maluit ille revocatus morte patriam
prævenire. In defuncti brachio Crux visa est ru-
bere, ipse etiam, cùm velum injiceretur, oculos
aperuisse, ut jam orbis vivum virtutis exemplar
etiam in mortuo haberet. Sur. & Mol.

Pias aures Domini ad te flecte; lacrymis & sus-
piriis pro tuis excessibus illum clementer exora; at-
que cauticis spiritualibus illum glorifica: nihil enim
magis supernis civibus spectare libet, nihil regi sum-
mojucundius exhibetur. S. Bern. l. med. c. 6.

S. GVILIELMVS CONF. 10. Februarij.

Ingentia scelera GVILIELMVS pari pœnitentiā
plectere instituit. Conjugio fraternæ conjugis
Herodi non impar cœnabat unus; quod octionis
in cibum sufficiebat. Ad duella non invitabat sed
egebat obvios, neque jam Duce in se Aquitanie
putabat, nisi factionis quoque quæ contra Innoc.
Pont. pugnabat, dux esset. Mellea verba Bernardus
D. ingessus

ingesserat; fel merū retulit. minas addiderat; maiores audivit. Ergo secundūm divina, Numine manum armatus ad præstolantem pro templi foribus progredivit, & voce plus quam humana, *Hoc*, ait etiam temnes improbe? Non erat hoc loqui, sed fulminare. Corruit humi ferōx, & qui nulli antehac victas manus dederat, Bernardo dedit, jamq; dum omnis casum populis miratur, unus **GVLIELMVS** negat se cecidisse, sed stare denique se credit. Mox Anachoretæ consilio nudum corpus Et caput loricā & galeā abscondit, longè maximum hostem se expugnaturus. Talis ad Innoc. Pont. inde Hierosolymam tendit, ibi antrum lachrimis implet & gemitibus, qui cælo repulsi audiuntur. Sub hæc patriam repetens, dum ex itinere castro expugnando operam vult locare, à viâ salutis penè exerrat cæcus. Tamen eadem nocte in viam redit, recipitque quos iterum lachrimis det oculos. Mox solitudines montesque mutat, & à taciturnitate, qui patrem mentitus frustra ad vitam veterem revocabat, verberibus immanibus cæditur. Medicinam tamen fecit **VIRGO MAGNA**, ut tanti jam vulhera faceret **GVLIELMVS**. Ultimò in stabulo Rhodis obiit, felicius utique, quam in palatiis vixerat. *Ex Særio.*

*Vnde superbit Homo, cuius conceptio culpa,
Nasci pœna, labor vita: necesse mori?*

*Cur carnem tuam pretiosis rebus impinguas & adornas, quam post paucos dies vermes devoraturi sunt in sepulchro & animam vero non adornas, que Deo ab Angelis presentanda est in celis? S. Bernard.
Medit.*

S. A. V.